



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Principia Juris Canonici : Ex Libro ... Decretalium Gregorii
IX. Pontificis M / Antehac In Alma & Archi-Episcopali
Benedictina Universitate Salisburgensi**

König, Robert

Salisburgi, 1725

VD18 80460526

26. De Maledicis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61800)

ut vindictam præcedat trina admonitio, puniuntur. Joan. Andr. in c. 1. h. t.

3 Verum communi DD. calculo probatum est, præcæditis Canonibus Clericis duntaxat inhiberi venationem saltuosam, & clamoriam, non eam, quæ quieta, ac modesta est, quæque fit cum retibus, laqueis, paucisque canibus, sive fiat causâ necessitatis, sive exercitii, sive moderatæ recreationis, ut docent Medin. Lessius, Molina, Panorm. & plures alii apud Jacob. Pignatell. tom. 3. consult. 49. num. 5. Quod accedente præsertim consuetudine verissimum puto: neque enim venatio est res intrinsicè mala, quæ non Clericis quoque cum debita moderatione concessa esse queat, dummodo non nimis frequenter, & assidue, vel cum neglectu Divini officii exerceatur.



TITULUS XXV. De Clerico percussore.

SUMMARIA.

1. Quam ob causam? 2. Et sub qua pœna Clericis prohibita sit percussio?

§. I.

1 **A**lium Clericorum delictum est percussio; quæ sanè Clericis non immeritò prohibetur: quia etiam Paulus Apostolus ad Titum 1. §. 7. voluit, Episcopum non esse percussorem: & quia indecens est, manus DEO consecratis, quibus Numini supplicandum est, aliis violenter injicere. Quod tamen de injuriosa percussione intelligendum est, non de ea, quæ fit causâ correctionis, aut disciplinæ; quamvis nec hanc per se ipsam exercere debeat Episcopus maximè in Clericos. c. non liceat. dist. 86.

§. II.

2 Pœna hujus delicti est, quòd Clericus percussor jubeatur deponi. c. 1. h. tit. ubi Panorm.

mit. advertit, id obtinere in percussione sæpius frequentata, ejus videlicet, qui calore iracundiæ passim contra alios commotus pro levissima causa ad verbera procedere consuevit, nec sæpius monitus emendatus est.



TITULUS XXVI. De Maledicis.

SUMMARIA.

1. Quid sit maledictum? 2. Quotuplex? 3. Quæ sit pœna detractionis? 4. Quæ blasphemia?

Percussoribus adnumerantur maledici: quippe & maledictum est percussio, quæ fit linguâ juxta Jerem. c. 18. §. 18.

§. I.

Definitur maledictum, quòd sit crimen quòd malum aliquod de præsentis, vel præterito dicitur. Ita Bartolus in l. Item apud Labconem. §. ait Prator. ff. de Injuriis.

§. II.

Dividitur maledictum in detractionem & blasphemiam. Detractio est injusta ablatio, seu denigratio alienæ famæ per verba, aliæve signa occulta, vel clam, seu quasi absente, & inscio illo, qui infamatur, facta. Blasphemia est, cum DEO aliquid negamus, quod ei convenit, aut aliquid DEO tribuimus, quod ei minimè convenit, aut cum convitium in DEUM profertur, aut contumelia, maledictiove in ipsum, aut Virginem DELparam, vel Sanctos effunditur.

§. III.

Effectus maledicti est obligatio ad pœnam, quæ variat.

Pœna detractionis est arbitraria, severior tamen, si maledictum cedat in injuriam Superiorum per c. 1. h. t. ubi dicitur, quòd maledicens Papæ ita sit puniendus, ut pœna illius aliis terrorem incutiat, Neque diversum statuunt